



Disputatio juridica inauguralis de nuptiis

<https://hdl.handle.net/1874/345150>

20.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,

D E
N U P T I I S.

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JACOBI VALLAN,

M. D. Praxeos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicus consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decretō,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit.

JOHAN DE MEYER, LEERDAMMENSIS.

Ad diem 29. Junii hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc loc xci.

Admodum Reverendo
V I R O,
D. JOHANNI de MEYER, Se-
cretario atqui Grapheo Feudorum urbis
comitatusque Leerdammenfis, Parenti
suo plurimum colendo.
NEC NON
Doctissimo expertissimoque V I R O,
D. JOHANNI van SWIETEN, Ar-
chitecto supremo, Geometræ circa ope-
ra comitatus Hollandiæ, territorii Cho-
marchorum Delphensis, Mathematico
practicō, Avunculo suo semper hono-
rando.

*Hanc Disputationem Juridicam Inaugu-
ralem dedicat offert & sacram vult.*

J OHAN de M E Y E R. Auct.
Academie
Typographi, ex loco xci.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS.
DE
N U P T I I S.
T H E S I S I.



Uptiæ dicuntur a nubendo: quia puellæ solebant olim, pudoris causa caput obnubere significantes verecundiam nuptias præire debere, & sic velatae ad viros deducebantur, unde proprienuptiarum nomen mulieribus convenit, atque magis ad eas quam ad masculos referre potest: nam Latini autores non facile dicunt viros nubere, pari modo quo vir ducere uxorem dicitur, a solenni deductione in domum suam: at hæc subtilitas a Ictis attendi non solet, atque promiscuè vocem nuptiarum utriusque sexui adscribunt.

I I.

Sponsalia præcedunt nuptias, adeoque de iis pauca præmittam: Sponsalia sunt mentio & re promissio futurarum nuptiarum l. 1. ff. de spons. sic dicta a spondendo, & promittendo quod scilicet mutua stipulatione & reciproca promissione spondeantur futuræ nuptiæ l. 2. eod. alii verbum *mentio* in dicta *lege l. de spons.* uti superfluum expungunt, & legunt *mutua re promissio*. vide *Hotom.* & *Wissenb.* ad dictam l. 1. eod. vulgata lectio probabilior est, atque naturam sponsalium satis explicat: mentio hic idem est quod interrogatio, re promissio est eam subsecuta & coordinata responsio. Sed Jure Canonico distinguuntur communiter ab interpretibus in sponsalia de præsenti & in sponsalia de futuro, quæ distinctio videtur rejicienda, quia sponsalia ipsa sui natura sunt de futuro, atque ad conjugium postea celebrandum se referunt.

DISPUTATIO JURIDICA

I I I.

Nuptiæ sunt viri & mulieris conjunctio Individuum vitæ consuetudinem continens §.1. Inst. d. pat. potest. Conjunctionem intellige animorum atque corporum: perfectum enim atque consummatum matrimonium utramque conjunctionem desiderat. Quamvis enim Ictus dicat in lege 30. d. R. f. Consensum facere nuptias non concubitum, hoc accipiendum de tali concubitu, quem nuptiarum consensus aliaque requisita haud præcesserunt, atque hoc vel inde colligi potest, quod nuptiæ non subsistant atque retro nullæ sint, ubi alteruter generandi potentiam non habet propter vitium perpetuum §.9. Inst. de adopt. & l. 7. ff. ad Edil. Edict. utramque conjunctionem ad consummationem matrimonii plane desiderari.

I V.

Hac definitione excluditur polygamia: quocunqne enim jure; non minus Divino quam humano prohibitum est unum unamve pluribus conjugii vinculo juctos esse: quamvis enim Deus conniveret olim ad polygamiam Patriarcharum, improbat tamen: quod Christus Salvator satis ostendit, ubi Math. 19. v. 8. vult conjugium inter Adamum & Eevam normam esse debere cæterorum conjugiorum add. i. Corint. 7. v. 2. & si qua sunt alia SS. Scr. loca, quæ hoc evincunt.

V.

Ut jure Civili valeant nuptiæ requiruntur quatuor, 1. Civitatis jus 2. ætas habilis, 3 consensus parentum & contrahentium 4. justa cognationis & affinitatis distantia: primo requiritur ut sint Cives Romani, cum servis nuptiæ non contrahuntur, sed tamen contubernium l.3. C. de intef. nup. & l.14. §.3. ff. b. tit. neque peregrini vel deportati contrahunt nuptias l.56. sol. mat. peregrini dicebantur qui Cives Romani non erant l.6. §.2. ff. de hered. Inst. Cives autem Romani per deportationem in peregrinitatem redigebantur l.10. §.6. ff. de in jus voc. & jus Civium amittebant l. 17. ff. de pen. quamvis per deportationem non dissolvetur matrimonium antea contractum l. 5. §. 1. ff. de bonis Dan. idque propter favorem ejus. Ob ætatem impuberes prohibentur masculi quidem ad annum decimum

eimum quartum impletum, foeminæ ad annum duodecimum pr. *Inst. b. l. 4. ff. b. nov. 100. c. 2.* Ratio est apud *Macrob. in somnio Scip. c. 6.* & *in l. pen. ff. quand. dies leg.* Ætas profectior olim prohibebat quoque nuptias secundum legem Papiam, & Scam. Claud. sed hoc correxit *Imp. in l. 27. C. b. t.*

V I.

Tertium requisitum est consensus contrahentium imprimis, quia inter invitatos nuptiæ non ineunter *l. 22. C. de nupt.* & hic consensus debet esse liber absque omni metu, & coactione: consensus hic non solus contrahentium intelligitur, sed etiam eorum in quorum potestate sunt *l. 2. ff. de rite nupt.* ratio juris civilis posita videtur in patria potestate quæ non patitur ut ei invito agnascatur suus hæres *l. 12. §. 3. ff. de capt.* & post. etenim quia jure Civili nuptiæ non sunt modus tollendæ patriæ potestatis, necessum quoque est ut liberi, ex filio familias nati, sint in potestate ejus in quo ipse filius familias est, atque tandem, eo mortuo, avo fiant sui hæredes. Sed & ratio naturalis, qua jubet parentibus obsequium a liberis exhibendum esse, hoc ipsum flagitat.

V II.

Unde si filius sine consensu patris nuptias contraxit, nec vir, nec uxor, nec matrimonium, nec dos intelligitur, sed illi qui ex eo coitu nascuntur pro spuriis habentur *§. pen. Inst. de nupt.* unde illud consequens est rati habitionem patris nuptias filii fam. retro non efficere legitimas, præterquam enim quod expresse requirat *Imp. §. 1. Inst. b. t.* ut consensus præcedat, hæc pæna est illius conjunctionis, quæ sit contra hæc legum præcepta, ut nuptiæ non sint, hæc vero nullitas quæ pæna est a lege irrogata rati habitione patris, qui privatus est, tolli nequit, accedit & hoc quod rati habitio in iis demum vim suam exerceat, quæ in pendenti sunt, non item in iis quæ ab initio non valent: nihil tamen inter est an patris consensus sit tacitus vel expressus, nam qui non contradicit consentire videtur *l. 7. §. 1. ff. de spon. l. 5. C. b. t.* quia mentem suam explicare debuerat. Illud tamen in favorem conjugii placuit *Imp. Severo & Antonino* ut parens qui liberos, quos in potestate habet, injuria prohibuit ducere uxorem vel nubere

6. DISPUTATIO JURIDICA

goci possit, ut in matrimonium collocet atque dotet l. 19. d. *rin-*
tu nupt.

VIII.

Tandem prohibentur nuptiæ ratione graduum, primo inter ascendentis & descendantis usque ad infinitum. Inter Collaterales prohibentur in secundo & tertio gradu: in quarto & ulterioribus gradibus subsistunt nuptiæ l. 3. ff. *de rit. nupt.* § 4. *Inst. b. t.* nisi contrahentes inter se parentum liberorumque locum obtineant ut scil. honestas morum illud prohibet, ne ille qui patris loco est matrimonio jungatur cum ea, quæ filiæ loco est; parentis loco est ille qui inmediate subest stipiti communis cum alter sit remotior.

IX.

Eadem prohibitio est propter affinitatem, ut quo gradu prohibenter nuptiæ ratione cognationis eodem quasi gradu quoque prohibeantur ratione affinitatis: in affinitate propriæ non est gradus, quia non est generatio, unde gradus oritur. Affinitas est necessitudo ex matrimonio orta inter conjugem unum & alterius conjugis cognatos l. 4. §. 3. *de grad. & affin.* sic nuptiæ quoque vetitæ sunt, inter eos qui in affinitate parentum liberorumque loco sunt §. 6. & 7. *Inst. b. t.* l. 4. §. 7. *de grad.* l. 5. & ult. C. *de inc. nup.* quia Conjuges per fictionem juris Divini & humani incipiunt eadem persona esse, fictio autem tantum valet in casu ficto quantum veritas in Casu vero.

X.

Quin & aliquando ratione publicæ honestatis abstinendum est a nuptiis, ut ecce si uxor tua post divorcium ex alio filiam procreaverit, hæc non est quidem privignata tua, attamen hujusmodi nuptiæ improbantur in §. 9. *Inst. b. t.* nam non semper in conjunctionibus considerandum est solum quid liceat, sed & quid honestum sit l. 197. ff. *R. f.*

XI.

Habuerunt Romani quoque alias causas quæ conjugium prohibebant, sic causâ dignitatis præses provinciæ, vel alii qui officium in provincia gerunt provinciales ducere non possunt uxores, ne potentia eorum nimium cresceret l. 38. *b. t.* Senatores, & ex iis geniti,

ti, iibertinas, aliasve viles fæminas non rectè ducebant, ne de-
cussilius ordinis vilesceret l. 44. ff. §. 1. derit. nup. quod tamen ab-
rogatum jure novo nov. 78. C. 3. Propter metum fraudis tutori
non licebat pupillam ducere l. 59. ff. derit. nup. l. 64. 66. eod. nu-
ptiæ quoque prohibentur ob diversitatem religionis in casu l. 6. C.
de jud. quod tamen extra terminos temere extendendum non vi-
detur, & ob delictum prohibetur matrimonium raptoris cum rapta
l. unic. C. de rapt virg.

XII.

Vitium animi quoque nuptiis impedimentum dare palam est, ut
furiosis, mente captis, nisi habeant lucida inter valla l. 8. ff. despone-
salibus l. 16. §. ult. de rit. nup. & l. 22. ff. §. 7. sol. mair. quibus ce-
tera omnia rectè riteque agere possunt. Prodigos licet alias furio-
sis comparentur matrimonium rectè contrahere verius est arg. ex
l. 3. ff. de novat. nam quod ad bona quidem facit prodigus furio-
sum exitum, at conjugium bonorum consortium non est, sed ani-
morum corporumque: dein imputabit sibi unaquæque quod se sua
que omnia commiserit ei qui finem impensarum non facit, bona-
que sua inutiliter dilapidat.

A N N E X A.

- I. Concubinatus & mereetricie conjunctiones in jure civili non pro-
bantur.
- II. Procurator in Criminalibus non admittitur ad defendantum crimen.
- II. Marius est Dominus Dotis.
- IV. Usucapio est justus adquirendi Domini modus, jure civili.
- V. Periculum & Commodum Rei vendita & nondum traditæ ad Em-
ptorem spectat.
- VI. Qui creditit ad refactionem navis non habet tacitam hypothe-
cam.

AD DOMINUM
JOHANNEM MEYERUM.

CUM DOCTOR CREARETUR.



Unc Meyere tibi victoria parta,
triumpha!

Cum cingat vestrum docta
corona caput.

Illa dies vobis albo signanda lapillo,

Quâ ad Doctoratum te vocat alma Themis.

Hæc sunt nunc studii dignissima præmia vestri,

Quæ sunt continuo parta labore tuo.

Tu nos præcedis, vestigia vestra sequemur;

Numina si faveant, nos celerique pede.

Amicus Amico posuit

FRANCISCUS van BERGEN

dictus MONTANUS. J.U.St.